

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM









DIVITIARUM  
EVANGELICARUM  
FESTIVALIUM

*Disquisitio II.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente*

MATTHIA HERRMANNO

Alstetensi Thurigeta.

*In Festo Thomæ.*


*M. O. R. cl. Id. III.*

---

HALLIS SAXONUM.

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-  
schlegely.*





Faint, illegible markings on the right page, possibly bleed-through from the reverse side. The text is mostly mirrored and difficult to decipher.







ANALYSIS  
 EVANGELII  
 IN FESTUM THOMÆ.

Joh. 20. à v. 24. usq; ad 30.

Προῶλιον.



Uod habetur Gen. 45, 28.  
 Ubi Jacob audivit filium Jose-  
 phum vivere, dominariq; Aegy-  
 ptio, ex somno quasi revixit & di-  
 xit: sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vi-  
 vit: vadam & videbo illum antequam mori-  
 ar. Vadit, videt, inq; amplexibus ait: Jam la-  
 tus moriar, quia vidi faciem tuam Gen. 46,  
 31. Id ipsum de Thoma dici posse æquè constat:  
 siquidem audito illo Dominū resurrexisse, ait:  
 Non credam, nisi videro vestigia clavorum,  
 Joh. 20, 20. quibus visis exclamat æquè: Do-  
 minus meus & Deus meus, ibidem v. 28. ut  
 B id ipsum



idipsum pluribus declaratur & probatur in  
Evangelio.

### THESIS I.

In quo habetur partim Thomæ erratio, cuius describitur occasio, quæ fuit præsentia abdicatio. v. 24. In quo Subiectum, quoad appellationem, Thomas autem: Quæ vox hebraica, & deducta à תאומין quod significat geminum. Non quasi uno eodemq; partu cum alio editus in lucem, quomodo Esavus & Jacobus, Gen. 25, 24. & quomodo Thamar etiam geminos edidit, Gen. 18, 28. sed est proprium nomen, uti alij quoq; ita appellantur. Videantur deliciae Epistolicae. Ut discamus appellationes nominum esse probabiles ab eventu plerumq; quodam desumptas.

2. Et quoad descriptionem, desumptam ab officio; unus ex duodecim. Nempè Apostolis per Synecdoch. gen. pro specie; cuius vocatio quidem in scriptura non exprimitur: nomen duntaxat reliquorum Apostolorum seriei annumeratum legitur apud Matt. 10, 3. ubi septimus numeratur, & apud Marc. ubi octavus inter duodecim ex universis discipulis, & sic Luc. 6, 14. sed sextus Act. 1, 13. Johannes quatuor distinctis vicibus eius mentionem  
facit



facit cap. 11, 16. cap. 14, 5. c. 21, 2. Et hoc in loco. Ut discamus etiam inter discipulos Christi non omnes fuisse aequales. Ita Judas proditor factus: ita Petrus planè abnegavit Christum, ceteriq; omnes defectores, Thomas incredulus.

3. Et à titulo: dictus didymus. Quæ explicatio nominis proprij. Neq; enim omnes didymi sunt gemelli partu. Unde Augustinus geminum dictum suspicatur propter dubium cor in credendo. Theophyl. v. in Joh. cap. 20: ideo interpretationis nominis ejus meminisse ait, ut ostendat nobis, quòd dubitator quidam sit, & id vitij à principio habuerit.

4. Prædicatum, ubi status: non erat cum eis. Quæ causa impulsiva incredulitatis. Quare autem abfuerit non memoratur: neq; tamen memorabile videtur, quod Chrysoft. habet hom. 26. in Joh. ex fuga nondum rediisse: siquidem, uti habet Beda: duo discipuli euntes Emaunta reversi sunt in Hierusalem, & invenerunt ea ipsa Paschatos die undecim congregatos, uti habetur Luc. 24, 13. Ergò rediit & adfuit. Datur potius intelligi quoddam fuisse intervallum, quo ad horã Thomas egressus sit, vel curiositatis explenda & negotiationis expedienda causa. Et ita non adfuit. Ut discamus curiositatem fugere: curiosus enim, inquit



Bernhardus serm. 14. foràs egreditur & exterius omnia considerat ; sic interna despiciit , praterita non respicit , presentia non inspiciit , futura non prospiciit. Vade , inquit Bernhardus serm. 6. falleris Thoma , falleris , si videre Deum speras ab Apostolorum collegio separatus. Non amat veritas angulos , non ei diversoria placent.

5. Et tempus: quando venit Jesus. Manifestaverat enim sese Christus Apostolis ipsa resurrectionis die , & circa vesperam suam ipsius resurrectionem premissa pacis congratulatione , oculari demonstratione vulnerum compleverat , uti habetur hoc in capite v. 9, 10, & 11. Ut discamus sanctorum conversationem & communionem non esse negligendam: siquidem , ut habet Bernhardus in loco allegato , in medio stat hoc est communi vita communibus studis delectatur : sic Hagar Abrahami adibus relictus errat Gen. 21. 4.

6. Et animi declaratio. v. 25. In quo antecedens continet relationem : cujus causa efficiens : Dixerunt ergò ei. Alij discipuli , qui viderunt Dominum ubi congregati fuerant. Ut discamus informare proximum , quando videmus ipsum errare , aut quando scimus ad gloriam Dei manifestandam prodesse.

7. Effe-



7. Et effectus in genere: Vidimus. Inde certi esse potuerunt: quia quae videmus longè sunt certiora quàm ea, quae tantùm audimus: quamvis in fidei negotiis credere prius est quàm videre, uti habetur Joh. 6, 16. Nos credimus & cognovimus, uti Augustin. tract. 7. inquit: prius credimus quàm cognovimus. Ut doceamur Christi occulta credenda esse, quò cognoscantur. Hinc sponse dicenti Cantic. 1, 7. indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubat in meridie, respondetur v. 11. murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento, quasi dicat: Audias prius est quàm videas. Unde etiam Jobi 42, 5. habetur: auditu auris audivit te: nunc autem oculus meus videt te. Voluit tamen Dominus se manifestare, ut non dubia fide, sed constansissima scientia teneatur inquit Leo serm. 1. de ascensione c. 1. ut sanaret vulnera incredulitatis Augustin. serm. 142. de Temp.

8. In specie, quoad objectum: Dominum. Quasi letabundi, unde in Syro habetur Dominum nostrum; quem videre, oculis tamen fidei, quàm sit beatum Christus ipse explanat hoc in loco v. 19. Unde in visione felicitas consistit.

9. Consequens habet illationem;

B 3

Ubi



Ubi iterum causa efficiens : ille autem dixit  
eis. *Vbi causa impulsiva interior incredulita-  
tis, siquidem non credidit. Non illos mendaces  
estimans, ait Theophyl. super hunc locum.  
sed resurrectionem impossibilem putans. Ut di-  
scamus saepe contradicere unum multis ; neq;  
enim omnia perpetuo consentiunt.*

10. Forma, ubi propositiones quoad  
visum, respectu effecti : si non videro. *Ad  
visum ergo provocat, ut solet incredulitas,  
quemadmodum habetur Joh. 6, 30. Hic ergo  
suam facit, ut videamus & credamus. Ita ra-  
tio denotat Ecclesiam militantem. Lea lippa  
erat oculis sed Rahel decora facie. Ut discamus  
credendum & postmodum videndum.*

11. Et respectu objecti : In manibus  
ejus vestigia clavorum. At habet Chrylost.  
serm. 84. *quid tibi solus Thoma?* Ita inquit  
Augustin. serm. 53. *de verbis Domini. homi-  
nes hi sunt remoti à fide terrenis dediti, carna-  
libus occupati, qui nolunt credere aliquid, nisi  
ad corporis sensum quinq; partitò perveniat ;  
cùm tamen, quod habet eleganter idem Au-  
gustin. tr. 20. in Joh. nihil aliud sit fides quam  
credere quod non vides. Ideò benè creditur,  
quod non capitur. Quod si citò caperetur, non  
opus erat ut crederetur. Credendo ergo capi-*



*zur, quod nisi credatur nunquam intelligitur*  
 August. in centen. 345. *Sunt enim res fidei*  
*sublimiores, ut ait Justin. Martyr. in exposit.*  
*fidei de Trinit.*

12. Et quoad tactum, de parte ratio-  
 ne effecti: Et mittam digitum meum, *Cum*  
*enim esset, habet Chrysostr. hom. 87. in Joh.*  
*crassioris ingenij, etiam à crassissimo sensu sibi*  
*fidem querit. Neq; enim oculis credebat, quip-*  
*pe qui non tantum dixerat: Nisi videro,*  
*sed nisi manum mittam, ne imaginatio putare-*  
*tur: Quia ut spectrum sese representare potuis-*  
*set. Et licet Cyrill. lib. 12. in Joh. 57. arbitre-*  
*tur Thomam magis mœrore, quo se Dominum*  
*nunquam visurum in hac vita forte putavit,*  
*quàm infidelitate perturbatum fuisse; tamen*  
*præter modum inquirere & investigare, habet*  
*Theophyl. tristissima mentis est. Et unum*  
*credere nolle, quod decem, non culpa vacat.*  
*Licet bona sit ignorantia, quod habet Augu-*  
*stin. lib. 156. de Temp. quæ eruditavit ignavos,*  
*quæ instruxit incredulos! & quàm bona incre-*  
*dulitas, quæ seculorum fidei militavit: ut vox*  
*quodammodo videatur inquirentis, & non*  
*simpliciter negantis. Dumq; hoc doceri voluit,*  
*confirmari desideravit. Na hanc hesitationem,*  
*uti Leo habet serm. 1. de ascens. Domini. hu-*



mana infirmitate nutantem, nequaquam permisisset spiritus veritatis predicatorum suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida sollicitudo & curiosa cunctatio nostrae fidei fundamenta secisset. Nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in Apostolis consulebatur: nos in illis contra calumnias impiorum, & contra terrena argumenta sapientia docebamur. Unde & subiungit Cyrillus: ut nos per exquisitam fidem ipsius, carnem Christi, quae de cruce pependit, à patre ad filium in vitam fuisse revocatae, credimus, per quae dispensationem permissum Thomam in infidelitatem carnis decidere.

13 Ratione objecti: In vestigium clavorum. Cur autem, habet Chrysologus ser. 84. tibi solus, Thoma, solus vulnera presentari ad indicium fidei callidus explorator expositus? Quid si ista cum aliis abolita fuissent, quod periculum fidei tuae curiositas ista peperisset? Nulla pietatis monumenta, nulla dominica resurrectionis inveniri aestimas potuisse documenta, nisi manibus tuis sulcaves ludaeica crudelitate exarata sic viscera?

14. De toto, ratione effecti; Et mittam manum meam. Non solum digitos vult immittere, sed etiam manus; quia nimirum Christus

stus



25

stus antea, uti retulerant discipuli reliqui, vulnera clavorum & lancea monstraverat. Non quidē ex necessitate, sed ex liberrima voluntate. Sic ergo Thomas ad utrumq; respexit.

Et ratione objecti; in latus ejus. Sed, addit Chrysostr. unde intellexerat latus perforatum? Ex discipulis. Cur alterum credidit, alterum non credidit? Quid hoc mirabilius erat? Quia, quæ Chrysost. habet serm. 84. quæsiu, fratres, pietas ista, exegit ista devotio, ut resurrexisse Dominum, nec ipsa postmodum dubitaret impietas!

16. Tūc conclusionem negativam: non credam. Ita negat fidem suis oculis, digitis, manibus, plures se credere velle asseverat. Ut discamus infirmitates inesse etiam sanctis. Quis enim ignorat Noæ temulentiam Gen. 9, 21. Loti incestum Gen. 19, 36. Mosis homicidium Exod. 2, 12. Aaronis idololatriam Exod. 32, 4. Davidis adulterium 2. Sam. 11, 4. Petri abnegationem Matth. 26, 69? paucis: filij hominum sunt vani, Psalm. 62. 10. Ne ergo simus securi, quia lapsus majorum est tremor multorum, habet Augustin. in Psalm. 50. sed humiles & solliciti simus, dum stamus, ne cadamus, 1. Corinth. 10, 11. Etiam discamus, quod habet Chrysostr. quàm verè loquantur



discipuli, neq<sup>3</sup> sua, nec aliorum vitia abscondant, sed quàm verissimè scribant, ut ita ex aliorum defectibus nostros cognoscamus & emendemus.

17. Et ab errore revocatio: ubi ratio, & est Christi præsentatio, v. 26. In quo circumstantia, tum temporis: Et post dies octo. *Intellige à prima apparitione discipulis in ipsa resurrectionis die dominica facta. Et diem octavum hunc, dominicum esse diem necesse est, habet Cyrill. in Joh. lib. 12. cap. 58. Nam una seu prima Sabbatorum cæteris apparuit id est die dominico. Die autem postea octavo utring<sup>3</sup> connumeratis extremis, sunt congregati rursus discipuli. Iure igitur sanctæ congregationes die octavo in Ecclesia fiunt. Continuo autem non apparuit, habet Theophyl. in cap. 20. Johan. sed post octiduum ut cum edoceretur à condiscipulis, & his, qui ea audierant, in majus desiderium accenderetur & fidelior in futurum fieret.*

18. Et loci: iterum erant intus in illa. Scilicet domo, in qua unanimiter conclusi Joh. 20, 19. Hierosolymis nimirum in cœnaculo parte superiore domus Acto. 1, 13. in quo Christus pascha celebravit Luc. 22, 12. in quo Spiritum sanctum postmodum dedit Acto. 2, 2. ubi



ubi Stephanus & reliqui Diaconi electi Act. 6, 5. In quo Apostoli primum concilium celebraverunt Act. 15, 6. Ut discamus intus esse, hoc est in mente nobiscum nos habitare debere, si velimus adesse Christum.

19. Forma habet objectum in genere: discipuli ejus. Per quos intelligit Iohannes eos ipsos, quibus ante sese manifestaverat. Intelligunturq; omnes illi, qui congregati propter metum Iudeorum, cum locus, ubi factum fuerit ipsis solennis. Ut discamus congregationes non esse deserendas, sed sepius frequentandas secundum monitum ipsius Apostoli.

20. In specie: Et Thomas cum eis. Non enim semper absuit, sed rediit: Et propterea etiam ipse, quod desideravit, invenit. Ut discamus redire ad cœtum, non emanere, si velimus etiam Christum videre.

21. Quoad effectum, tunc apparitionis, respectu omnium in genere: venit Iesus. Ut errantem potissimum oviculam in viam revocaret. Quamvis enim antea satis superq; resurrectionem suam manifestasset, dum apparuerat Mariae Magdalene, Marc. 16, 9. Johan. 20, 1. 11. 18. duobus Emaunticis Luc. 24, 13. ceterisq; discipulis congregatis: tamen venit iterum Dominus. Et tu cum discipulis



non credentem videas, habet Chrysoft. considera Domini clementiam: quomodo pro unâ etiam animâ vulnera sua ostendat, Et ut unum salvum faceret apparuerit, Et cum ingenij crassioris esset fidem sibi à crassissimo sensu quæreret. Sic dubitare permisit, ait Gregor. Magnus hom. 26. in Matt. nec tamen in dubitatione deseruit. Ut discamus summam Christi erga peccatores humanitatem. Nullum etenim spernit, neminem abjicit, neminem perhorrescit, nisi fortè ipsum exhorruerit, ait Augustin. lib. 1. meditat. in cap. 2. Ut discant etiam alij incredulorum peccatorum curam habere, infirmos in fide suscipiendi Rom. 14. pusillanimes erigant 1. Thess. 5, 14. errantes spiritu mansuetudinis reducant Gal. 6, 1. in patientia Et doctrina 2. Tim. 4, 2. Et hoc agant, ut, quod habet Cyprian. lib. 1. ep. 3. ad Cornel. gloriari queant: patientia Et facultas Et humanitas nostra venientibus preste est. Opto omnes in Ecclesiam regredi dicant, dicant opto omnes, Et c. universos commilitones nostros intra Christi castra Et Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo. studio Et voto colligenda fraternitatis.

22. In specie, quoad modum continentem tempus: januis clausis. Prout antea

quoq;



quoque venerat. Non quidem mutatione corporis aspicitur, ut habet Justin. quæst. 117. ad orthodoxos, sed cum corpore partibus suis constante, quamvis glorioso, in divina sua potentia, qua ea, quæ supra naturam sunt, præstare potest. Clausa, inquit Chrysoft. hom. de Johan. Baptist. erant ostia & ingressus est Jesus. Nulli dubium quin clausa sint ostia, qui per ostia clausa intravit: non erat phantasma, non erat spiritus, verè corpus erat; habebat carnem, habebat ossa, & clausa erant ostia. Sed quomodo clausis ostiis intraverunt ossa & caro? clausa sunt ostia, & intrat, quem intrantem non vidimus. Unde igitur intravit? omnia clausa, locus non est per quem intret, & tamen intus est, qui intravit, & non apparet quomodo intravit. Miraculosè igitur, ait Cyrill. cap. 38. in Ioh. lib. 12. ad ostendendam potentiam suam, quòd scilicet sit verus Deus Luc. 1, 34. Unde Augustin. serm. 115. ille hoc fecit, cui nihil est impossibile, qui de corpore suo fecit quod voluit. Et ad significandam sapientiam, quod mille modis possit, & sciat succurrere, ut sapientia ejus non sit numerus Psalm. 147, 5. Et tandem ad excitandam etiam fiduciam, ut conicerent spem suam in eum, qui velit præsens esse non obstantibus januis: sicut fuit cum Josepho

Josepho



*Josepho, cui ostendit se in fovea, Sap. 10, 13. cum Mose in fiscella, Ex. 2, 3. cum Eliseo 2. Sam. 6, 32. cum Daniele in spelunca, Dan. 6, 17. cum Paulo in custodia, Act. 23, 11. Et quomodo repellere eum potuit obiectio repaguli, quem non poterat sepulchri, habet August. serm. 50. de tempore?*

22. Et quoad situm: stetit in medio eorum. Id quod factum est de repente, adeo ut putarent esse phantasma Luc. 24, 37. In medio partim ut ab omnibus videri possit, ut ait Lyra, partim ob consuetudinem, sic Christus medium locum sibi elegit in suo ingressu jacens inter duo animalia, Hab. 3, 21. (juxta versionem graecam & sententiam veterum) Ingressu sedens in medio doctorum, Luc. 2, 64. in medium Iudeorum veniens, Joh. 1, 26. in medio discipulorum infantem statuens Matth. 18, 2. In egressu inter duos latrones. Et denique in regressu, quia est persona media in Trinitate, 1. Tim. 2, 5. Ut doceret se esse in medio nostrum Ela. 12, 6. Matth. 18, 19. Et si stetisset ante eos visisset discipulis presentiam detrahere, si ad dextram, eosdem contemnere, si ad sinistram alius cedere.

24. Et respectu allocutionis: & dixit pax vobis! Hoc est nolite perturbari, uti Chrylost. explicat, hom. 85. in Joh. Pacem ergo



ergò precatur iis, ad removendam diffidentiam ne dubitarent de resurrectione: cum hac formula sibi fuerit communissima Luc. 14, 32. Est enim pacis amator 2. Corinth. 13, 11. pacis remunerator Matth. 5, 9. ad ostendendam victoriam, quia opera Diaboli destruxerat 1. Joh. 3, 9. potestates traduxerat infernales Coloss. 2, 15. Et deniq; ad extollendam pacis præstantiam: pax enim bonum est, quo nihil melius, ait Augustin. Et retinet illam formulam, quia Christus non affert novum Evangelium, sed vetus repetit semper. Ergò qui querit pacem, Christum inquiret: nam ipse est pax nostra, faciens pacem, & pacificans per sanguinem crucis sue, qua sunt in coelis & in terris, habet Basil. magnus in Psal. 33.

25. Et Christi postulatio. v. 27. In quo efficiens causa cum objecto: deinde dixit Thomæ. Cuius gratia potissimum redierat. Ita adstixit ergò illi, uti habet Chrysost. neq; ab illo rogari expectat, neq; quicquam tale audire: sed nihil eo dicente ipse Iesus primum eius desiderio satisfacit, ostendens superiorib; discipulorum verbis se adfuisse; iisdem enim usus est. Et quidem eo ordine, quo usus Thomas ad reliquos suos condiscipulos.

26. Et materia quoad antecedens, respectu



spectu partis, quoad Thomam; Insuper digi-  
tū tuum huc. Hoc enim optaverat fieri  
Thomas, & verisimile est etiam Thomam fe-  
cisse.

27. Et respectu Christi: & vide ma-  
nus meas, Quas itidem tangere & videre vo-  
luit; aequè igitur ostendit ei clavorum vestigia  
in manibus.

28. Et quoad totum, respectu Thomæ:  
& affer manum tuam, ut votum ejus erat.

29. Et quoad Christum: & mitte in la-  
tus meum. Siquidem vulnera servavit, ut es-  
sent signa veritatis, quòd verè passus, & verè  
etiam in illa carne resurrexerit. Inde Chry-  
sost. in cap. 20. Joh. ut resurrectio crederetur  
ralem se exhibuit; ut sint signa charitatis:  
nusquam enim apparuit clariùs, habet Anselmus  
ex Augustino, quòd resurrexit Do-  
minus quàm ex vulneribus factum: tamen  
non natura lege, uti loquitur Damasc. cap. 1.  
sed dispensationis modo & libera voluntate.  
Sunt enim in corpore glorioso duo, scilicet  
corpulentia & subtilitas, primùm pertinet ad  
veritatem humane nature, propter quod pal-  
pabile est, scilicet dum vult, ut ait Gregor, lib.  
14. c. 30. expos. moral. secundum pertinet ad  
gloriam. Ut ergò vulneribus crederetur, ait  
Augu-



Augustin. lib. 16. contra Faustum, cap. 13. corporis sui cicatricem tangi sinebat & ostendebat.

20. Et consequens à contratio, per prohibitionem: ne sis incredulus. *Vides, inquit Theophyl. in Joh. manifestam ex infidelitate dubitationem & frustra quosdam gratificari Thomæ, dicentes quòd data opera & prudenter facile non crediderit: Nam Dominus incredulum vocat.*

29. Et per positionem: sed credens. *Ubi in greco iucunda est paronomasia. Loquitur vero Christus nò solum de actu credendi, sed etiam de habitu. Ita enim usurpatur vox  $\mu\sigma\varsigma$  Eph. 1, 1. Actor. 15, 5. Et quia resurrectio est fundamentum reliquorum fidei articulorum, monetur Thomas, ut vera fide eum amplectatur: sin minus, non erit in numero electorum, uti usurpatur vox  $\delta\mu\sigma\varsigma$  1. Corinth. 2, 6.*

32. Et respectu Thomæ, est ejusdem attestatio: v. 28. In quo efficiens causa: respondit Thomas, & dixit ei. *Ubi tetigerat eum. Siquidem colligitur Thomam non prius ad fidem deductum, quàm ipso actu convictus esset. Debuisset primùm quidem ob Christi intuitum pudore & rubore confundi, sed audacter & intrepidè digitos suos in vestigia clavorum, & manum suam in vestigia Christi ingerit:*

C

rit:



34

rit: Et tunc respondit. Atq; ita plus Thomæ incredulitas ad fidem quam fides credentium discipulorum profuit, habet Gregor. hom. 26. in Evang. quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.

33. Tùm materia, ratione officii, & humanæ naturæ secundum Theophylact. per declarationem: Dominus. Quia ipse est Dominus 1. Corinth. 8, 6. qui nos à potestate Sathanis liberavit Luc. 2, 34.

34. Et per applicationem: meus. Non enim est admiratio, verum confessio: ita ut subintelligatur, tu es, quemadmodum et Syrus addidit.

35. Tùm ratione divinæ naturæ per declarationem: Deus. Super enim omnes Deus est qui verus, uti Joh. 21, 14. expressèq; habetur, et 1. Timoth. 3, 16:

36. Et per applicationem: meus. Ideoq; inquit Augustinus hom. de ovibus. super omnes Deus est: tamen nescio quo modo non facile audeat quisquam dicere: Deus meus, nisi qui in eum credit, et qui eum diligit: ipse dicit: Deus meus. Atq; ita novo genere vestigia vulnerum divinitati perhibent testimonium, quia templum erat Dei indumentum corporis  
vul-



vulnerati, habet Aug. ser. 156. de temp. Et quamvis etiam Moyses Aaronis dicatur Deus Exod. 4, 16. tamen, uti habet Ambrosius ratione divinae auctoritatis; & magistratus, verum ratione officij; Diabolus Deus huius seculi 2. Corinth. 4, 4. sed ratione servitij; & impiorum pater Philip. 3, 19. sed ratione finis, Christus autem verus Deus & verus Dominus.

37. Et Christi conclusio, seu uberior ejusdem informatio. v. 29. In quo iterum causa efficiens: dicit ei Jesus, Atq; ita comprobatur ejus confessionem. Non probasset autem si tantum admirationis formula fuisset. Ideoq; hoc ipso se verum Deum ac dominum esse demonstrat, uti habet Hilarius lib. 7. de Trin. religiosus filius, & qui non voluntatem suam, sed Dei, qui eum miserat, faceret: & qui non honorem suum, sed ejus, a quo venerat quereret, honorem huius in suo nomine recusasset, ne quod ipse unum predicaverat, solveretur. Et Irenæus lib. 3. advers. hæres. c. 6. nisi verus Deus esset, neq; Dominus, neq; S. S. neq; Apostolicum, qui non esset Deus, expressè ac verè definitivè & absolute Deum nominassent aliquando.

38. Et materia tum de Thoma per rationem: quia vidisti me Thoma. A mortuis excitatum secundum tuum desiderium. Non



ait tetigisti, sed vidisti me, habet Augustin. tract. 121. in Joh. quoniam generalis quodammodo sensus est visus. Atq; ita condescensionis erat seu permissionis, uti habet Chrysof. hom. 66. in Joh. per attemperacionem.

39. Et fidei confirmatio: credidisti, Me à mortuis resurrexisse ac proinde Dominum ac Deum vivum esse; Aliud enim vidit, aliud credidit: alias divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit & Deum confessus est, habet Chrysof. hom. 26. in Joh. Videndo igitur credidit, qui considerando verum hominem, hunc Deum quem videre non poterat, exclamavit. Ut discamus Christum felicissimè & fidelissimè informare; hoc enim agit gratia, scribit Ambros. lib. 10. epist. 84 ut voluntas corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumseptas, difficultatibus impedita non remaneat in languoribus suis, sed per opem misericordis medici curata reconvalescat & gaudeat, & se non interrogantem edoctam, & non querentem esse quesitam.

40. Universaliter de omni persona quoad prædicatum: Beati. In hac nimirum sententia nos specialiter signati sumus, inquit Gregor. qui eum, quem carne non videmus, mente retinemus. Et præteriti temporis usus est  
verbis,



37

verbis, habet August. tract. 121. in Joh. tanquam ille, quia erat, futurum in sua noverat predestinatione jam factum.

41. Et subjectum per remotionem: qui non viderunt. Quia videre non est causa fidei; hoc enim fidei est accipere, quae non videntur, quia fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, habet idem August. hom. 68. in Joh.

42. Et per positionem: crediderunt. Siquidem valde fidelium lumen est animarum constanter credere sine intuitu, & ibi dirigere desiderium quo non possint dirigere aspectum, habet Leo serm. 2. de ascens. Dom. c. 1. Cum ergo quispiam dicit, addit Chrysof. hom. 68. in Joh. vellem illis fuisse temporibus, & Christum miracula facientem vidisse. Intelligit beatos, qui non viderunt & tamen crediderunt. Et quamvis dicatur Luc. 10, v. 23. Beati oculi qui vident, quae vos videtis: tamen quod Lyra respondit, duplex est beatitudo, una spei, quae vos videtis; quae habetur in presenti seculo, & consistit in merito futurae beatitudinis; ita beatior est hoc modo qui plus meretur, qui credit non videns quam videns: altera rei, quae principaliter in aspectu & vi-



sione Deitatis, & ex consequente in visione humanitatis Christi consistit.

43. Rectius tamen ista de beatitudine & prerogativa Apostolorum intelliguntur siquidem Christus tribus modis videtur 1. Oculis tantum corporaliter, quomodo Caiphas & Pilatus eum viderunt, qui intuitus ipsis est maioris damnationis. Quia videntes non vident, Esa. 16, 19. Matth. 13, 14. 2. Oculis tantum spiritualibus spiritualiter, quo modo credentes tantum Christum vident 1. Petr. 1, 8. & hic ad salutem sufficit, quod hoc loco dicit Christus: Beati qui non vident & credunt. 3. Corporalibus & spiritualibus oculis simul singulariter, quomodo ipsum videbant discipuli, quæ ipsorum beatitudinem conduplicavit, qualis etiam futura in altera vita, ubi videbunt per Christum à facie ad faciem 1. Cor. 13, 12. Beati ergo sunt omnes, concludit Cyril. c. 60. l. 12. in Joh. qui per Apostolorum prædicationem crediderunt.

NOTE.

I. **N**on erat cum eis.) Cōsidera Thomam non potuisse videre Christum, quia abfuerat; ut discas societatem discipulorum non differre.

II. **T**homas erat.) Considera licet Thomas redierit, tamen noluisse cre-



39

*credere ; ut discas quantum damnum sit  
vel per breve tempus abfuisse.*

**III. B**Eati qui non vident.) Conside-  
*ra fidem non fundari sensibus ; ut  
discas credere & fidere, licet non videas.*

---

C A S U S.

An sufficiat testimonium de auditu?

**A**ffirmandū videtur. 1. Quia beati qui  
*non vident & tamen credunt Joh. 20.  
29. 2. Quia Patres dicunt si vides, non est  
fides.*

3. Jura affinitatem, consanguinitatē,  
*parentelam & alia auditu probant. Pa-  
cian. c. 47. Farin. q. 69. n. 103. in antiquis  
auditus probat Idem n. 125. plenè pro-  
bat Menoch. cas. 475. n. 15.*

*Contra: Negandum 1. quia Christus  
dicit ad Thomam: credidisti, quia vidisti,  
Joh. 20, 29.*

2. Qui ab alio narrari quid audiuit  
*& si de eo deponit testimonium, non pro-  
bat c. 47. X. de testib. Myns. n. 3. Schurf.  
1. conf. 94. n. 4. Farin. q. 69. n. 2. quia  
omnis testis debet per propriū sensum pro-  
bare,*



bare, in c. testes. 3. q. 9. Natta cons. 170. n. 1. crimin. cons. 363. n. 121. lib. 4.

3. Testes de auditu non probant, nisi dicant se credere verum esse. c. licet. X. de testib. Neviz cons. 78. n. 18. Menoch. cons. 98. n. 58. lib. 1.

Plus deniq; unus oculatus testis quàm auriti decem.

Ad contraria: 1. Fall. cause. Sunt sanè beati, qui credunt quando Deus loquitur, aut illi qui immediatè illuminati. Unde & fides ex auditu. Sed interim tamen visus non excluditur. Unde & Apostoli qui viderunt & audiverunt ipsum Salvatorem, magis beati predicantur quàm alij qui tantùm audiverunt de eodem. Chrysoft. hom. 68. in Joh. simpliciter credere est facilitatis.

Ad 2. Patres de solo sensu visus loquuntur, quando opponitur auditui, non quando concordat.

3. Jura de iis loquuntur, quæ per auditum tantùm probari possunt. Farin. q. 69. n. 15. & q. 70. n. 127. quamvis plenam fidem tamen non faciat Menoch. c. 475. n. 22.



**I** Neger est ubi non exercitus omnis, ibi-  
dem,

Non facul esse potest victor, ovare mi-  
nus.

Sic erat haut presens didymus cognomine  
Thomas,

Christus discipulos quando salute beat.  
Ergo dixerunt alij, Dominum nos vidi-  
mus: ille,

Non credā, nisi cum vulnere tango lat<sup>o</sup>.  
Hinc post octidūū presens ubi; venit Jesus,  
Clausā. stat medius, pax ait esto, fore.  
Addit: da digitumq, manumq, manumq,  
latusq,!

Palpa, ne dubites, credulus esto magis.  
At Thomas subitō dicens respondit eidem:  
Tu Dominus meus es, Tu me<sup>o</sup> esq, Deus.  
Tūm Jesus: credis quia cernis. At ille beat<sup>o</sup>,  
Quamvis nō cernat, credit & ille tamē.  
Sic licet haut videat modō credat, is esse  
beatus

Omninō poterit. Ne beat ista fides.  
Talia demonstrat nobis HERMANNUS. At  
idem

Dux exercituum, si modō pergat, erit.  
ita testatur

Gueinzius



Οἶκτον Ἀγῆσθε  
Κεδνέ Θεοῖο  
Πρὸς βροτὸν αἶμα  
Τμήμασι τέτοις  
Θυλογοῖσι  
Σπέδας ὑλλῆιν  
Τέτοσι ὄντως  
Προσφέρα αἶνον  
Οὐχ ὀλεχόντα

Οὐχ ὀλοῶντῃ  
Τῆτε πρέυσ  
Ὡσπερ ἀπάρξω  
Σὲ πάτην ἕσθ  
Ναὶ φάλος ὄρθρ  
καὶ λατριβῶν  
Δῶρα τ' ἐπαθλα  
Ἄξια δέξῃ  
Ναίχι καὶ ἔξαι

*primitiis Sympalestricis com-  
muni pulenis sui ita uoveat*

Joh. Melchior Starckloff  
Erfurtensis Thuring.

---

**A**mbrosius mellita favis os suada satullae  
Hermetis Musis, nam dehinc Discen-  
tia manat

*Ex illo, velut irrigno torrente scatebra.  
Propterea Genio vitioso, es corde protervo  
Hanc habitat: cui sed pietas est maxima cura.  
Quare etiam si Hermanne fauet Hermetis  
honora*

*Majugena Peitho, crebro si pergis, es audet  
Abs dubio gratos pietatis reidere fructus.  
Georg. Christoph. Dockhorn.*

---

Παμμάκαρον τε νυ πῖσδ' ὄντ' ἐκ ἡμεν ἄπιστον  
Θωμᾶν Ἐφραγίξει ἀξιοπῖσθ' αἰο  
Ph. Oritius.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C






Inches  
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TIARUM  
**LICARUM**  
**VALIUM**  
*visitio II.*  
 RESIDE  
**IO GUEINZIO**  
 ni Hallensis  
 ector  
*ndente*  
**HERRMANNO**  
 si Thurigeta.  
*to Thoma.*  
*ch. Ic. III.*  
**SAXONUM.**  
*m Melchioris Oel-*  
*legely.*